

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Eximii Dei Servi Alberti De Altissimis, Canonici
Regularis Congregationis Lateranensis**

Saracini, Paolo Emilio

Augustæ Vindelicorum

Cap. XIX. Orat pro suâ Canonicâ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37282

signis esset DEI Servus , confirmatus fuerit.

CAPUT XIX.

Orat pro suâ Canonica.

PAULATIM oleum magno huic lumini defecerat, ita ut in dies adaucta eius zeli, eximiæque charitatis flamma signum evidens esset, quod finis eius vitæ approxinquaret, cum offensas DEO illatas, ut & proximi ærumnas, à quibus nullo non die miserè afflatabatur, porrò sufferre nequiret. Priusquam verò benignissimus DEUS Albertum ad suorum præmia laborum evocaret, videbatur, postremo hoc eius peregrinationis anno maximam hujus Altissimi Servi sui erga dilectissimam suam Matrem S. Bartholomæi Canoniam, nosque charissimos Confratres suos manifestam facere voluisse charitatem.

ÆSTATE obitum Alberti nostri antecedente agri multiplici grandine fuerunt infestati, ita ut pauci circumiacentis Regio-

nis

nis pagi inde eximerentur: hinc cùm
nostrum S. Bartholomæi Collegium sua
prædia ab se invicem disjuncta, & hinc
inde dispersa habeat, sicuti fulmina, toni-
trua, densissimæque nubes à ventorum
impetu agitatæ miseris agricultoribus in-
gens damnum minitabantur, spémque
exoptatæ messis præcidebant, ita non mi-
nus nostris possessionibus ultimam rui-
nam intentabant. Quare piissimus Pater
& Frater noster Albertus ad commisera-
tionem adductus, quoties fulgura ac toni-
trua eiusmodi calamitatum præcursoris
oculos perstringebant, aurésque pulsa-
bant, mox ad pedes sui Salvatoris confu-
git, ferventissimis eundem precibus ob-
testatus, quatenus hanc Matrem adeo cha-
ram sibi, utpote à qua quinquaginta & am-
plius annis multo cum amore in charita-
tis ipsius sinu, acceptis ab eadem optimis
serviendi Divinæ suæ Majestati rationi-
bus enutritus fuerit, indemnem servaret
ab istis tempestatibus, & conglaciatis illis
lapidibus, quibus è sublimi decidentibus
non validius scutum, quàm Divina ac
cle-

clementissima eius dextera opponi ne-
quiret.

Nemo non absque singulari consola-
tione secum ipse pensitaverit, quod tunc
Divina Bonitas hujus Servi sui vota sem-
per exaudisse visa fuerit: nec enim præ-
dia tantum, & agri nostri nullam accepere
labem, sed præterea quasi manifestum
hujus signum fuit, quod instante precibus
Alberto suæ erga nos misericordia visce-
ra DEUS opt: aperiret: siquidem tempe-
states tanto furore confines nostris terras
impetebant, ut miseris illis agricolis nihil
superesset, nisi ut in locum messis segetum,
singultus & lacrymas colligerent, cum in-
terim agri nostræ Canonicæ ne in ipsis
quidem extremitatibus attingerentur,
quasi confines agri limites forent stra-
gium, quibus vicini perquam infelices
consumerentur, DEI nimirum Ange-
lo illis prohibente, ne ulterius
grassarentur.

* * *